hunc effectum praedestinationem esse ex meritis supernaturalibus praevisis, eo ipso quod in exsecutione « datur meritis ». *d*) Fundamentum totius huius doctrinae apud Angelicum est, quia « Deus *eadem ratione* omnia beneficia, quae nobis confert in tempore, praeparavit nobis ab aeterno.» Quia scilicet *eadem ratione*, qua beneficia confert in tempore, illa ab aeterno praeparavit; ideo gloriam ex praevisis meritis praedestinasse rationabiliter dicitur, gratiam autem primam ex praevisis meritis praedestinasse dici non potest, quin in errorem impingatur semipelagianum.

Vide doctrinam in hac thesi stabilitam etiam apud Vasquez in 1. P. disp. 82. c. 5; disp. 89. c. 9; de Valentia in 1. q. 23. disp. I. punct. 4. §. 1. 6; Lessium de Praed. sect. 1. n. 4; sect. 2. n. 29; Philippum Gamachaeum in 1. q. 23. c. 6. conclus. 2. prob. 3; Tricassinum de Praedest. p. 36. 81. 200.

THESIS LVIII.

Praedestinatio gratiae et praedestinatio complete spectata secundum omnes effectus simul sumptos non est ex praevisione meriti.

« Cum *Deus praedestinaverit Sanctos suos et ad gratiam vitae* » *bonae et ad gratiam vitae aeternae* (s.Fulg. De verit. praed. III. 5.), » praedestinatio inadaequate spectata prae priori sua parte, omne praede- » stinatorum meritum praevertere dicenda est ea ratione, qua gratiam » ipsam gratis conferri, non meritis reddi confitemur; ac propterea et- » iam, quando praedestinatio spectatur adaequate, *impossibile est, quod* » *totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam cau-* » *sam ex parte nostra* (S. Th. 1. q. 23. a. 5.). »

Haec thesis corollarii instar ex antecedentibus deducitur, et supposita doctrina catholica de gratuito dono gratiae in dubium vocari nequit, ut facile probatur declarando sensum enuntiationis.

1° Quando negatur meritum aliquod totius praedestinationis esse ex parte praedestinatorum, dicitur omnibus effectibus, ad quos refertur praedestinatio, simul sumptis non posse praecedere aliquod meritum, ex cuius praevisione dona subsequentia praedestinata sint, et a quo proinde tota illa

series donorum pendeat. Illud enim meritum deberet esse extra seriem praedestinatorum effectuum; nam si et ipsum esset in hac serie, profecto, cum non possit esse causa meritoria sui ipsius, iam non esset causa meritoria *totius seriei*. Atqui extra seriem praedestinatorum effectuum, ut praedestinatio tamquam praeparatio donorum supernaturalium ad salutem conducentium ab Augustino ceterisque Patribus iuxta Scripturarum doctrinam intelligitur, non potest esse meritum ullum supernaturale. Ergo affirmandum esset, meritum esse aliquod acquisitum naturae viribus, cui prima gratia supernaturalis reddatur. Hic autem est ipse error ab Augustino primum in Massiliensibus impugnatus, et ab Ecclesia deinceps definitionibus Concilii Arausicani Pontificumque decretis saepe damnatus. Quia errantes illi liberam potestatem salutis nobis negari putabant, nisi meritum quod unice a viribus nostris naturalibus pendeat, possit inchoare viam salutis; ideo hanc rationem praedestinationis impugnabant; et quia vicissim videbat Augustinus, hac gratuita praedestinatione negata negari gratiam, qualis in Scripturis praedicatur, quae scilicet non sit merces operum naturalium; ideo s. doctor huic praedestinationi insistebat diligentissime. « Aut enim, inquit, praedestinatio praedicanda est, quemadmodum eam sancta Scriptura evidenter loquitur.... aut gratiam Dei secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani » De don. persever. n. 41. Hac de causa se dicit coactum esse ad praedestinationis declarationem. « Quid autem coegit loca Scripturarum, quibus praedestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari » ibid. n. 53; cf. n. 42. Hanc denique gratuitam praedestinationem ait prorsus ad fidem pertinere revelatam, quia eius praedicatio nihil est aliud, quam praedicatio gratiae gratuitae. « Hoc scio, neminem contra istam praedestinationem quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis sanctos Cyprianum et Ambrosium... debere sufficere, ut et gratiam Dei gratuitam per omnia credant, et per omnia praedicent » ibid. n. 48.

2° Sicut praedestinatio mere gratuita praedicatur quoad primam gratiam, ita ratio illius gratuitatis extenditur ad totam seriem, quatenus meritum omne subsequens fundatur in gratia. « Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinae gratiae largitate discreti sunt (discretione praedestinationis complete spectatae); non est dubium, quod (in ipsa iam exsecutione) procuratur eis audiendum evangelium, et cum audiunt credunt, et in fide quae per dilectionem operatur, usque ad finem perseverant..... *profecto et electi sunt per electionem*, ut dictum est, *gratiae, non praecedentium meritorum suorum, quia gratia illis est omne meritum* » De correpl. et grat. n. 13.

Attamen meritum, quod est gratia et per gratiam acquisitum, non sane negatur esse verum meritum. Supposita itaque iam prima gratia supernaturali potest homo impetrare merito congruo gratias ulteriores et uberiores, quae nisi impetratione antecedente non concederentur; eoque ipso praedestinatae non sunt nisi sub praevisione meriti impetrationis. Quando ergo dicitur praedestinatio ad gratiam esse gratuita, id intelligendum est eadem ratione, qua gratuita est gratiae collatio. Praedestinatur scilicet gratia ex nullo praeviso merito naturae, et ideo primae gratiae praedestinatio antecedit omne omnino meritum; possunt tamen praedestinari et praedestinantur gratiae multiplices ex praevisis meritis supernaturalibus, nec umquam nisi suppositis et praevisis supernaturalibus dispositionibus congruis praedestinatur iustificatio adultis. « Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori..... Restat igitur, ut ipsam fidem (et fidei initium), unde omnis iustitia sumit initium... non humano quod isti extollunt, tribuamus arbitrio nec ullis praecedentibus meritis... sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est sine meritis cogitamus..... Quapropter nec se vel ipsius orationis meritum extollat; etiamsi ad vincendas cupiditates, et diligenda bona aeterna atque ipsum Deum, adiutorium datur oranti, fides orat, quae data est non oranti... Unde et

ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, et ideo meritis praecedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur (Rom. VI. 23.); non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo quia non meritis datur (1), sed quia data sunt et ipsa merita, quibus datur » August. ad Sixt. ep. 194. n. 9. 10. « Praecedit bona voluntas hominis (qua petit et vult accipere gratiam divinam) multa Dei dona, sed non omnia; quae autem non praecedit ipsa, in eis est et ipsa... Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris (infidelibus) utique nolentibus pie vivere nisi, ut Deus illis operetur et velle (initium bonae voluntatis); itemque cur admonemur petere, ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat, quod volumus (ulteriori gratiae profectu), a quo factum est ut velimus? » Enchir. c. 32. Vide etiam ep. 186. n. 10. ad Paulinum; in Io. tract. III. n. 9.

Hinc iuxta principia in superiori thesi demonstrata gratiae ulteriores, quando in exsecutione conferuntur propter merita supernaturalia vel condigna vel congrua vel impetrationis, eodem modo non nisi supposita praevisione horum antecedentium bonorum supernaturalium praeparatae et praedestinatae censeri debent. Quare sicut e. g. dicit Augustinus: « hoc Dei donum (perseverantiae) suppliciter emereri potest; » ita pariter infert: « constat, alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei, *alia non nisi orantibus praeparasse, sicut usque in finem perseverantiam* » (adultorum) De don. persev. n. 10. 39.

Hunc ordinem gratuitae praedestinationis diversum pro diversitate gratuitorum donorum egregie declarat s. Thomas. « Ad duplicem effectum praedestinationis (gratiam et gloriam) diversimode se habet nostra operatio, quia opus meritorium informatum gratia (sanctificante) est causa meritoria

(1) Advertatur obiter, Augustinum unicam cognoscere rationem, quare vita aeterna sit gratia simul et corona, *quia datur meritis per gratiam comparatis*. Neque enim ei in mentem venit, quod vita aeterna praedestinatur ante omnem praevisionem meritorum, quae esset ratio longe efficacior, cur sit et dicatur gratia. Sed de his postea.

gloriae; sed opus bonum (supernaturale) praecedens gratiam (sanctificantem) non est causa meritoria eius (gratiae), sed solum quaedam dispositio. Unde patet, quod praedestinatio (ut actus divinus in se) causam non habet; *sed habet rationem ex parte effectus, secundum quam rationalis et iusta dicitur*... Sciendum, *quod praedestinatio respectu ultimi effectus habet rationem iustitiae distributivae, scilicet respectu gloriae; et ideo possumus dicere, quod Deus dat isti gloriam et non illi, quia iste meruit et non ille;* et *similiter vult, quod iste habeat et non ille, quia iste dignus est et non ille* (1). *Sed respectu primi effectus scilicet gratiae habet* (praedestinatio) *rationem magis liberalitatis quam iustitiae, quia gratia datur gratis* et non redditur meritis (scilicet non meritis condignis, si sermo sit de gratia prima sanctificante; nullis omnino meritis, si agatur de prima gratia actuali). Unde ex parte recipientis non est assignare causam, quare dignus sit gratia; sed solum dispositionem quandam (ad gratiam sanctificantem)... *In intellectu (igitur) praedestinationis includitur voluntas consequens, quae respicit opera* (2), non quasi causam voluntatis (in se spectatae), *sed sicut causam meritoriam gloriae et sicut praeparationem ad gratiam* » S. Th. 1. dist. 41. a. 3.

Similiter s. Bonaventura imprimis distinguit in praedestinatione ipsum actum substantialem qui est divina essentia, et connotatum effectum conferendum ad extra. « Cum quaeritur, utrum aeternum Dei propositum sive electio in Deo motivam rationem habeat, hoc non intelligitur quantum ad voluntatem divinam vel eius actum, qui Deus est; sed quantum ad ordinationem voliti ad eius voluntatem. » Eandem distinctionem Bonaventura aliis verbis ponit inter actum *aeternum* et connotatum *temporale*. « Aliquod nomen

(1) Eandem vides assignari rationem iustitiae distributivae in praedestinando ac in dando effectu.

(2) *Voluntas consequens* inclusa in praedestinatione *respicit opera*, non pulchritudinem universi Alvarezii, Goneti et aliorum, quae antecedenter ad opera praevisa exigat innumerabilium hominum exclusionem a praedestinatione (vide supra th. XLVII. n. I; th. LV. n. II.).

pure aeternum importat, ut nomen Deus; aliquod vero nomen importat *aeternum connotando temporale*..... ut puta si dicatur: Deus conservat hanc rem, conservare dicit essentiam connotando actu effectum; ideo incipit et desinit conservare. » Quando igitur Bonaventura dicit, *aeternum* non cadere sub meritum, debet intelligi de *pure aeterno*, h. e. de ipso actu substantiali, non autem de actu cum suo connotato seu relatione ad extra. His praenotatis intelligitur responsio Seraphici Doctoris ad quaestionem, « an praedestinatio vel reprobatio habeant in nobis causam meritoriam? » Responsio haec est. « In praedestinatione tria intelliguntur: primum est *propositum aeternum* (actus substantialis), secundum est *temporalis gratificatio* (terminus prior), tertium vero *aeterna gloria* (terminus alter.) Similiter in reprobatione intelliguntur tria, scilicet *aeternum odium* (actus substantialis), *temporalis obduratio*, et *aeterna damnatio* (termini adsignificati). Quantum ad primum et ultimum similiter est iudicandum; nam ultima scilicet poena et gloria simpliciter cadunt sub merito. Primum vero scilicet propositum, eo ipso quod aeternum est (scilicet quatenus est pure aeternum et essentia divina, praecisione facta a terminis connotatis; secus diceretur absurdum tum generatim tum speciatim quoad odium aeternum) meritum habere non potest. Quantum vero ad medium, quod est gratificatio et obduratio, differenter est iudicandum; nam obduratio simpliciter cadit sub demerito sive sub malo merito, gratificatio vero nec simpliciter sub merito nec simpliciter extra. Est enim meritum congrui, digni, et condigni. Meritum congrui est, quando peccator (per auxilium gratiae actualis) facit quod in se est et pro se; meritum digni, quando iustus facit pro alio; meritum condigni, quando iustus facit pro se ipso. Respondendum est ergo ad quaestionem, utrum praedestinatio et reprobatio cadant sub merito, quod simpliciter loquendo quantum ad principale significatum (quantum ad actum divinum in se), neutra cadit sub merito; quantum vero ad connotatum reprobatio cadit sub merito simpliciter, praedestinatio vero secundum quid » (simpliciter et de condigno quoad gloriam, de congruo quoad gratificationem